This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

UC-NRLF
$B 14 193
P A
6585
S32
1872
MAIN
YC 00808

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF CALIFORNIA.
768q
Class S3E

PLAUTI IN VOCABULIS ENUNTIATORUMQUE PARTIBUS COLLOCANDIS ARS IN FABULA, QUAE INSCRIBITUR „MILES GLORIOSUS“ DEMONSTRETUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

CLAUS SCHUETT,
BERLINENSIS.



IENAE, 1872.
TYPIS RATII.

PA6585
S32
1872
MAIN

Prooemium.

Iam scriptores antiqui, quorum de Plauti ingenio atque indole iudicia nobis servata sunt summis laudibus eum extollunt. Varro enim, qui primus litteras Romanas perscrutatus illum cum Caecilio et Terentio comparat in sermonibus Plauto palmam tribuit; Fronto, qui eum imitari studuit, „verborum Latinorum elegantissimum“ lib. I. 7. 17. poetam praedicat et alio loco lib. XIX. 8. 6. „linguae Latinae decus“; Macrobius denique Saturn. II. 1. 10. Ciceroni parem esse Plautum contendit. Quamquam Frontonis et Macrobii iudicia in universum comprobari non possunt; tamen Plautum genere dicendi atque arte praecipue effloruisse et hac in re dignum esse, qui in numerum nobilissimorum comoediarum scriptorum aetatis cuiusque recipiatur, iure ac merito contendere mihi videor.

Sed priusquam ad Plauti in vocabulis enuntiatorumque partibus collocandis artem demonstrandam transeam ac certum meum iudicium de Plauti sermone proferam, pauca praemittenda mihi esse existimo de natura atque indole poetae, quatenus ex tota fabularum componendarum ratione eluceant.

Plautus enim non modo comoedias Graecas in sermonem Latinum transtulit, sed saepe numero contaminavit et primus multas et praeclaras sententias ex ipsius ingenio exortas fabulis inseruit. Nam cum crebro in fabulis instituta Romana commemorentur et mores Romanorum, Plauto in depingendis his rebus summam tribuimus admirationem, quibus ingenii acumen

164400

et „Italum acetum“ luculentissime apparent. Sermoni autem expedito et perfacile currenti Varro palmam tribuit eandemque ad rem spectat illud Horatii „ad exemplar Siculi properare Epicharmi“, id quod critici aetatis Augusti maxime in Plauti fabulis admirantur.

Quibus Horatius minime censentit, nam non solum compositionem fabularum, sed etiam versus et facetias ipsas vehementer vituperat. Dicit enim Ep. II. 1. 170

„Aspice, Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi;
Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi:
Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis,
Quam non adstricto percurrat pulpita socco.“

Neque Quintiliano Plautus satis probatur: Inst. or. X. 1. 99. „In comoedia maxime claudicamus; licet Varro Musas, Aelii Stilonis sententia, Plautino dicat sermone locuturas fuisse, se Latine loqui vellent“ et paullo post X. 1. 100 pergit „Vix levem consequimur umbram, adeo ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis venerem.“

Sed quamquam in universum Quintilianus in comoediis Plautinis elegantiam, Atticam desiderat, tamen nobis in hac re diiudicanda semper respiciendum est et Horatium et Quintilianum ea aetate vixisse, qua lingua Latina et ars scribendi multo magis erant excultae.

Iam Terentius, qui indole Plauto inferior est, cum Atticis scriptoribus studium operamque navasset et laudabilem in conscribendis fabulis diligentiam adhibuisset, Plautum generis dicendi arte et elegantia facile vicit, id quod Horatius Ep. II. 1. 59. praedicat „Terentium vincere arte“ et Quintillanus fabulas elegantissime ac scientissime ab illo conscriptas esse contendit.

Sed Plautus et aequalibus satisfecit, qui nondum erant imbuti litteris Graecis, neque iam lingua satis erat exculta, ut elegantia Attica reddi posset. Nec vero praetermittendum est

quod Plautus saepe nova et lepide ficta vocabula adhibuit, quae neque sumpta erant ex argumento Graeco, neque derivata ex imitatione sermonis cotidiani, sed poetae soli debentur, qui luculenter scivit linguam rudem erudire.

Neque enim solum multa vocabula castigandi, adulandi, blandiendi primus exhibet poeta, sed etiam permulta synonyma, allitterationes, figuras etymologicas, quorum exempla collecta postea proferam, omnibus suis fabulis ingeniosa cum arte immiscuit. Qua de causa optime meritus est Plautus de lingua Latina, quia et nova vocabula, quorum multa in ea postea remanserunt, primus composuit, et varias multiplicesque dicendi figuras adhibuit.

Et quoniam mihi proposui sermonem Plautinum eo consilio perscrutari, ut artem collocandi vocabula enuntiatorumque partes investigem, elegi fabulam, quae inscribitur „miles gloriosus," quae quamquam in compositione saepe vituperata, tamen in sermone laudanda est, quaeque iam satis emendata et adeo restituta est a corruptelarum sordibus, ut apta mihi videatur esse, qua virtutes sermonis Plautini demonstrem.

Pars I.

De vocabulorum collocatione.

Vocabulorum ordo plerumque eadem ratione instituitur, qua homines singulas cogitationes coniungere solent et vocabula eo modo sese excipiunt, quo ad sensum cohaerent.

Haec vero consecutio in omnibus linguis una eademque esset, nisi cogitandi ratio apud diversas gentes diversa esset.

In lingua Latina vocabula plerumque ita collocantur, ut

subiectum primum enuntiati locum, ultimum teneat verbum, verbo praecedat obiectum, obiecto dativus vel alius casus, cui ceterae enuntiati partes praemitti soleant.

Qua in re semper id tenendum est, quod cum vocabulorum ordo cogitatione ipsa constituatur conformatio quoque enuntiatorum redigenda est in eum ordinem, quo sententiae in iudicando et cogitando coniunguntur. Quem cogitationum ordinem simplicem et usitatum praecipue in sermone cotidiano atque legem illam, quam supra constituimus, maxime observatam esse in fabulis comicorum quamquam inter omnes constat, tamen nihilo minus in comoediis saepe ordo vocabulorum commutatur, quod quoniam in dialogo enuntiatorum connexus est, vocabula quaedam, quae aut ad ea, quae praecedunt, spectant, aut causam eorum, quae secuntur, continent, loca sua cum aliis permutant.

Ac primum quidem paucis pertractanda mihi videtur esse collocatio adiectivorum, quae aut substantivis antecedunt aut post ea locum tenent.

Plerumque enim adiectiva substantivis, ad quae pertinent, postponuntur, quia saepe vocabulis adiunctis definiuntur atque si duo adiectiva cum uno substantivo coniunguntur, ambo post substantivum, ad quod spectant, poni solent. Cuius rei exempla, quibus fabula abundat, quoniam longum certe est afferre omnia, sufficiat nonnulla ex ea collecta proponere.

Comparari enim possunt hi loci [1]).

V. 13. campis Crocolidoniis, 99 adulescens optumus. 114 amicam erilem. 209 os columnatum. 224 res subitariast. 237 sororem geminam germanam alteram. 267 canis venaticus. 293 fraudem capitalem. 409 fores vicini proxumi. 497 facinus tantum tamque indignum. 679 pallium malacum et calidum. 944 condicio nova luculenta.

---

1) In citandis Plauti locis numeros versuum secutus sum editionis Lorenzianae, quam multis in rebus magno mihi fuisse auxilio atque utilitati libenter profiteor.

Ea praecipue exempla elegi, quibus ostenditur. illa adiectiva potissimum substantivis postponi, quia vel iis, quae secuntur, definiuntur, vel uno compluribusve syllabis productiora sunt substantivo.

Alia vero adiectiva vel postponuntur vel anteponuntur substantivo, id quod comparatione exemplorum, quae secuntur, manifesto apparet; nam saepe inverso ordine unum complurave adiectiva ita posuit poeta, ut substantivo antecedant.

Legimus enim:

V. 3 conserta manu. 83 festivo loco. 134 paternum suum hospitem. 174 nostrum inpluvium. 202 laevam manum. 225 calidum consilium. 247 doctum dolum. 257 gemina sorore. 266 certa res. 294 tuum stultiloquium. 336 erilem concubinam. 337 nullum commeatum. 410 Ephesiae Dianae. 415 erilis concubina. 450 istam domum. 457 nostra erilis concubina. 664 summae sollicitudini. 665 tanto sumptui.

Unum adiectivum, quod componitur cum compluribus substantivis his et anteponitur et postponitur.

Quam ad rem confirmandam affero locos hosce:

V. 500 di deaeque omnes. 614 meumque cor corpusque. 667 bono hospite atque amico.

Si vero duo adiectiva, quae ad unum idemque substantivum referuntur, urgenda sunt, alterum anteponitur substantivo, postponitur alterum. Sicuti:

V. 289 his oculis meis. 317 istam linguam largiloquam. 382 mea soror geminast germana. 386 eandem suspicionem maxumam. 390 mea soror gemina. 637 amoenis rebuset voluptariis.

Pronomina demonstrativa fere semper ante substantivum collocantur praeter ea, quae vocabulis sequentibus accuratius definiuntur, quod invenitur his locis:

V. 109 militi huic. 118 navem illam. 159 milite hoc. 560 noctu hac. 904 anulum hunc.

Genitivi vero, qui a nomine quodam dependent eum locum

plerumque obtinent apud Plautum, ut illud seguantur, cuius rei permulta exempla insunt in fabula:

V. 105 amicam eri mei. 110 matri mulieris. 152 custodi mulieris. 231 regionem astutiarum mearum. 262 amica eri. 501 supplicium virgarum. 602 umbra's amantum. 765 rationem mearum fabricarum. 766 rationem doli. 913 indolem nostri ingenii. 934 conlatio nostrarum malitiarum.

Inverso autem ordine persaepe quoque collocantur genitivi ante nomen, a quo reguntur, cuius rei exempla offero haec:

V. 2. solis radii. 4 oculorum aciem. 15 Neptuni nepos. 129 mulieris sententiam. 233 elephanti corio. 361 eri concubina. 385 Palaestrionis somnium. 493 scelerum caput. 728 deorum consilia. 915 populi odium.

Si vero duo genitivi ab uno nomine dependent, nomen illud ita in medio ponere solet Plautus, ut alter genitivus ei antecedat, sequatur alter, id quod satis elucet ex his locis:

V. 636 amoris aliquantum habeo humorisque. 776 facetiarum cor corpusque sit plenum et doli.

Appositiones fere semper vocabulo, ad quod referendae sunt, postponuntur, id quod invenitur:

V. 110 illi lenae matri mulieris. 134 paternum suum hospitem, lepidum senem. 135 illi amanti suo hospiti. 273 Philocomasium, erilem amicam. 466 custodi cauto, conservo meo. 940 Seleucum regem.

Attamen semel etiam appositio in fabula, quam tractamus, occurrit ante vocabulum, versum dico 75: rex Seleucus.

Infinitivi et supina verbo, a quo reguntur, plerumque anteponuntur, cuius rei exempla extant:

V. 27. dicere volui. 43 esse oportet. 215 agitare mavis. 282 scire nolo. 351 agere oportet. 376 transire potuit. 441 esse indaudivi. 443 abire non sinam. 471 attingere ausu's. 507 insimulare ausus es. 521 facere certumst. 559 factum esse arbitror. 561 habere oportet. 597 habere volumus. 619 sectari solet. 664 esse experior. 677 duci potest. 734 devorti potest. 742 opsona

tum pergam. 758 praevorti decet. 770 praestare praedicat. 802 meminisse id referat. 827 bibere potui. 883 meminisse nequeant. 955 esse auderem. 956 responsare nequeas. 972 facere oportet. 1038 meminisse haut possum 1098 esse aiebat. 1164 improbare non queas. 1212 amari videor. 1238 durare nequeo 1249 stare nequeo.

Persaepe etiam infinitivi et supina verbis regentibus postponuntur, cuius rei exempla praebent hi loci:

V. 11. ausit dicere. 37 memini fieri. 67 liceat operam dare. 186 optineat colere. 224 possint pervenire. 274 audivi loqui. 344 volo scire. 386 sum visa sustinere. 441 veni quaesitum. 476 oportet scire. 486 rentur esse. 492 audivi facere. 603 voluisti facere. 609 volo scire. 671 volo vivere. 678 possum invenire. 693 potis esconsulere. 757 possum exponere 796 non potuit reperire. 813 volui dicere. 223 votuit dicere. 877 potisset deasciari. 889 iussisti adducere. 903 poteras esse. 962 cupit abire. 999 dubitas conloqui. 1063 sistique exorare. 1097 vis optinere. 1128 volumus conventum. 1138 abiit oratum. 1159 volo adsimulare. 1191 sensi amari. 1228 nolet ducere. 1305 iusserunt dicere.

Adverbia verbis definientibus praemiti sollent, quam ad legem demonstrandam non omnia exempla affero, sed modo haec propono: 230 bene amet. 297 certe scio. 613 miseri macero;

sed interdum adverbia verbis postponuntur, cuius rei in mil. insunt exempla, quae secuntur:

V. 294. paratumst dupliciter. 310 interea male. 403 peribis pulcre. 464 faciat confidenter. 516 videtur aequius. 568 faciant bene. 589 actumst probe. 731 accipiam benigne. 869 percipiatis plane. 936 meditemur cogitate. 939 procedit lepide 993 loquuntur laute et minume sordide. 1089 fieri possit clementissume.

Et quoniam dixi, qua ratione atque arte nomina et adverbia collocaverit poeta, nunc ad praepositiones tractandas transeo. Quae quidem praepositiones semper fere ante vocabulum,

ad quod spectant, occurunt, uno exemplo in mil. excepto:

V. 1038 quanam ab illarum?

quam legem etiam in ceteris fabulis ita observavit Plautus, ut praepositiones: pro, ex, per, inter, propter, erga, penes, vocabulo, ad quod spectant, aliquoties postponeret.[1])

Adiectivum vel pronomen nonnumquam a substantivo praepositione separatur, veluti: v. 202 laevo in femine. 278 maxumum in malum 696 magno in genere. 764 Quam ad rem.

Qua collocatione efficitur, ut adiectivum a substantivo separatum plus ponderis habeat ac momenti.

Praepositio autem a casu separari potest eo modo ut genitivus intercedat, veluti: v. 721 pro mercis vitio 1048 ab tui cupienti.

Non raro suffixum „que" intercedit inter praepositionem et nomen, si eadem praepositio iam antecedit:

V. 29. per corium, per viscera, perque os elephanti. 540 per deos atque homines, perque stultitiam meam perque tua genua.

Negationes fere semper extant ante vocabulum negandum, si autem totum enuntiatum negatur, negatio in initio ponitur, id quod invenimus:

V. 739. Non qui mi imperarent quibusve ego essem obnoxius.

Sin vero enuntiatum exclamationem vel devotionem quandam continet, non raro ante interiectionem a Plauto ponuntur negationes ad interiectionis vim notionemque augendam et amplificandam, id quod legitur:

V. 485. Non hercle hisce homines me marem, set feminam Vicini rentur esse servi militis. 840 Non edepol faciam. 845 Non hercle tam istic valide cassabant cadi.

Memoratu dignae etiam particulae interrogativae sunt, quae in universum in initio enuntiati ponuntur, id quod supervaca-

---

1) Exempla a Lorentio collecta vide in annot. ad loc. laud.

neum mihi videtur esse exemplis illustrare, sed nonnunquam quoque vocabulis quibusdam urgendis postponuntur, ut. 359 illaec quis est mulier? 424 aut mecum quid negotist? 915 populi odium quidni noverim?

Eodem modo pronomen relativum non semper eandem obtinet locum, nam non solum in initio enuntiati, sed etiam in alio enuntiati loco legitur; conferatur: v. 127 Athenis qui fuit. 139 consilium quod dedit miles. 157 meae quid fiat domi. 529 eadem quae non sit. 552 ego quod viderim 597 consilium quod habere volumus. 780 lautam vis an nondum lauta quae sit. 839 tibi qui promptet. 885 militi male quod facietis ambae.

Atque ut nunc veniam ad tractandam coniunctionum collocationem, quae apud Plautum liberrima est, cum plurimae coniunctiones certam sedem in eius fabulis nondum habeant, incipiam a coniunctionibus 'ut' et 'ne', quae quamquam in universum primum enuntiati locum tenent, tamen persaepe uni vel compluribus vocabulis urgendis postponuntur, cuius rei probandae causa propono exempla haec:

V. 181. se ut videant domi familiares. 198 id visum ne visum siet. 226 ut visa ne sint, facta infecta uti sient. 258 intro ut abeas. 491 Metuo illaec res ne malo magno fuat. 657 Tute me ut fateare faciam. 663 Huic pro meritis ut referri pariter possit gratia. 702 noctu ut somnum ceperim. 883 Obliviosae extempulo uti fiant. 948 Nam hoc negoti clandestino ut agerem. 971 a te ut abeat per gratiam. 1030 Tecum aetatem exigere ut liceat. 1049 meam ne sic volgo pollicitere operam. 1080 domum ut transeat. 1136 ab se ut abeat. 1219 Benignus erga me ut siet. 1239 tam vesane ut amarentur.

Eadem ratione coniunctiones 'si, nisi, ubi' vocabulis quibusdam premendis postponit Plautus, sicuti:

V. 288 Tute hoc si unus recipere ad te dicis. 340 nunc si ea domist. 413 saevis fluctibus ubi sum adflictata multum. 666 Nam in mala uxore atque inimico si quid sumas. 695 hercle si istam semel amiseris Libertatem. 757 otium rei si sit. 800

miles domum ubi advenerit. 852 domum si venerit. 869 minus si tenetis. 870 Satis si intellegitis. 908 Bene lineatum si semel carinam conlocavit. 1241 Per amorem si quid fecero. 1273 Alium alio pacto propter amorem ni sciam. 1307 Nam nostri oculi si valerent.

Coniunctio 'enim' in Plautinis fabulis non unam ac certam in ordine verborum obtinet sedem, sed et in initio ponitur et post alia vocabula.

Inque initio ponitur, ut sententiam nexu magis adstricto iungat, quibus locis idem valet 'atenim' vel 'sed enim'; conferatur: v. 428 Enim ne nosmet perdiderimus uspiam. 1009 Enim cognovi nunc.

Nec raro secundum enuntiati locum tenet apud Plautum coniunctio 'enim', ut. v. 293 Verum enim tu istam, si te di ament, temere hau tollas fabulam. 803 Ego enim dicam tum, quando usus poscet.

Idem fere dici potest de coniunctionis 'igitur' collocatione, quae in variis enuntiatorum locis reperitur: in primo. v. 765 igitur rationem mearum fabricarum dabo; in secundo. v. 434 Quis igitur vocare. 112 Ibo igitur intro; in tertio. v. 1361 Bene vale igitur; in quarto. v. 426 Quis ego sum igitur. 805 Eo ego intro igitur.

Neque aliter coniunctio 'ergo' locum saepe commutat. In primo loco extat:

V. 798 Ergo adcures. 884 Ergo istuc metuo. 1222 Ergo iste metus me macerat; in secundo: v. 344 Agedum ergo face. 379 Ecastor ergo mi haut falsum evenit. 936 Abeamus ergo intro. 1027 Vocon ergo hanc; in tertio. v. 254 intro abi ergo; in quarto: v. 1034 Non hercle humanust ergo.

Coniunctio 'tamen' in mil. nunquam in primo collocatur loco, sed in secundo invenitur v. 858 Quaeso tamen, tu meam partem, infortunium si dividetur; in quarto v. 560 at non malitiose tamen feci; nonnunquam etiam ultimam enuntiati sedem

tenet, veluti: v. 802 rogo te tamen. 1318 Bene quaeso inter vos dicatis et amice apsenti tamen.

Coniunctio 'vero' et in secundo enuntiati loco collocatur, ut. v. 995 Hercle vero haec iam adlubescit primulum; et in tertio, ut. v. 328 Domi hercle vero. 823 Nego hercle vero.

Neque aliter res sese habet, quod spectat ad coniunctionem 'quidem'. Extat enim in loco secundo v. 258 Et quidem ego ibo domum. 397 Nunc quidem domi certost. 651 Atque quidem plane educatum in nutricatu Venerio. 653 Tui quidem edepol omnes mores ad venustatem valent. 655 At quidem illuc aetatis; in tertio: v. 346 Nam ego 'quidem meos oculos habeo. 482 Certo illa quidem hic nunc intus est aedibus. 630 Pol id quidem experior ita esse ut praedicas. 631 Nam benignitas quidem huius oppido adulescentulist. 997 Hercle hanc quidem Nil tu amassis. 1114 Curatum id quidemst.

Semel 'vero' in ultimo enuntiati loco extat:

V. 361 Eri concubinast haec quidem.

Iam vero restat, ut leges quasdam constituam de collocatione verborum apud Plautum. In universum verbum in ultimo enuntiati loco poni supra iam dixi, sed persaepe verbum ante casum obliquum collocatur. Et quoniam fabula plena est exemplorum, non omnia, quae insunt, proponere mihi in amino est, sed modo pauca et gravissima in medium proferre, sic: v. 26 Quo pacto pugno praefregisti bracchium. 33 Venter creat omnes has aerumnas. 74 ibus dinumerem stipendium. 129 Et quoniam inspexi mulieris sententiam. 130 cepi tabellas. 132 is non sprevit nuntium. 137 paravi hic intus magnas machinas. 140 quo nemo nisi eapse inferret pedem. 141 ego perfodivi parietem. 150 mulier feret imaginem. 158 nunc adeo edic omnibus.

Nonnunquam verbum interpositum est inter ea vocabula, ad quae referendum est, ut:

V. 189 os habeat, linguam, perfidiam, malitiam atque audaciam. 212 Euge, euscheme hercle astitit et dulice et comoedice.

Vi relativi interdum efficitur, ut verbum proxime accedat ut: v. 41 quos tu occidisti una uno die. 73 quos consignavi he, heri latrones. 884 quod venit vobis faciundum utrumque.

Supra iam dixi vocabula locas suas commutare, ut collocatione ipsa ostendatur, quae verba essent urgenda.

Ea autem maxime distinguuntur vocabula, quae in locis principalibus, in primo et ultimo collocantur, cum secundum normas grammaticae in alio loco ponenda sint. Quare consecutio vocabulorum plane mutatur, nam omnes enuntiati partes primum locum occupare possunt, unde etiam dependet ordo ceterarum partium.

Primum quidem memoratu dignae mihi videntur esse interiectiones, quae quamquam saepe non coniungendae sunt cum enuntiato primario, sed cum secundario, tamen a Plauto ita poni solent, ut incipiant enuntiatum primarium, id quod maxime fit, ut oratione festinante plus gravitatis insit in interiectione, cuius rei attuli haec exempla, quibus interiectionum 'edepol' et 'pol' vim gravitatemque effectam esse sola hac collocatione apparet: v. 25. 28. 45. 284. 308. 321. 470. 537. 772. 980. 992 1407.

Nonnunquam hae interiectiones extra versum ponuntur, sive impedire voluid Plautus, ne coalescerent cum vocabulo sequenti, sive imitatus est Graecos poetas; cfr: v. 833 eho 843 hem 945 vah 1047 heu.

Nec solum interiectiones primum tenent locum enuntiati, verum etiam ceteras partes enuntiati in primo loco collocari ex his exemplis elucet:

V. 11 Tam bellatorem Mars se haut ausit dicere.

54. Amant ted omnes mulieres. v. 94 labiis dum ductant eum.

Praecipue vero ea vocabula in initio ponuntur, quae quodam modo cum enuntiato antecedenti arctissime cohaerent, veluti: v. 504 Ibi dum condignam te sectaris simiam. 1101 Is ad hos nauclerus hospitio devortitur.

At persaepe fit, ut ultimum quoque locum vocabula premenda teneant, quare cum emphasi quadem memoriae commendantur.

Nonnullis autem tantum exemplis demonstrabo omnes enuntiati partes etiam extremo loco collocari posse, ut v. 4. Praestringat oculorum aciem in acie hostibus. 166 Ita senex talos elidi iussit conservis meis. 168 Estne advorsum hic qui venit Palaestrio. 181 se ut videant domi familiares. 241 si illanc concriminatus sit advorsum militem Meus conservos. 310 mussitabo potius quam interam male. 327 At ego illi opservasso foris.

Ea vero potissimum vocabula in fine enuntiati collocantur, quae referende sunt ad ea, quae dicuntur in enuntiato sequenti, id quod legimus:

V. 96. quomodo ad hunc advenerim In servitutem ab eo. 118 Capiunt praedones navem illam. 158 nunc adeo edico omnibus. 496 Ego auscultem tibi? Expurigare volo me. 790 ea porro mihi. 983 ubi sunt ludi faciundi mihi.

Alia ratio enuntiati partes quasdam quam maxime distinguendi ea est, ut vocabula iungenda separentur, quo efficitur, ut vocabula, quae separantur, gravissima esse videantur.

Persaepe enim vocabula, quibus notio subiecti componitur, longe distant, sicuti:

V. 111 nam is illius filiam Conicit in navem miles clam matrem suam. 149 haec duarum hodie invicem. Et hinc et illinc mulier feret imaginem. 178 Ille mihi abiens ita respondit. 228 Tute hoc si unus recipere ad te dicis. 249 Trecentae possunt causae conligi. 269 fores crepuerunt nostrae 278 tu sali solus. 284 homo sectatu's nihili nequam bestiam. 433 Quae te intemperiae tenent. 653 Tui quidem edepol omnes mores ad venustatem valent. 709 Ei sunt gemini et trigemini, si te bene habent, filii.

Vocabulis eo modo separatis intercedunt cum pronomina cetera tum pronomen personale, ut:

V. 307 ex tuo se hospitio. 478 tuae mihi turbae. 491 metuo illaec mihi res. 504 condignam te sectaris simiam. 505 meum aput me hospitem. 602 tuopte tibi consilio. 623 mei me amoris. 722 tua mi uxore 1310 a viro me tali.

Adiectiva a substantivis, ad quae spectant, non raro uno vel compluribus verbis separantur, veluti:

V. 1. meo sit clupeo clarior 67 Ut tuo non liceat operam dare negotio. 163 legi fraudem faciant alearíae. 165 factum a nostra hic familiast. 183 omnis crucibus contubernalis. 185 de ingenio degrediatur muliebri. 208 mento suffigit suo. 209 poetae esse indaudivi barbaro. 227. Magnam illic, homo, rem incipissis, magna moenis moenia. 236 hanc instituam astutiam. 269 voci moderabor meae. 283 Simiam hodie sum sectatus nostram. 292 tu istam, si te di ament, temere hau tollas fabulam. 293 tuis nunc cruribus. 308 facinus fecit audax. 309 has sustollat aedis totas. 315 tuam empsim vitam. 350 in nostra meliust famulo familia. 351 hoc opservare ostium 411 Arabio fumificem odore. 455 muliebri fecit fide. 558 Eam fieri aput me tam insignite iniuriam. 561 suos domitos habere oportet oculos. 644 Neque alienum ego nunquam scortum, 726 scelesta facerent facta. 771 omnisse ultro sectari in Epheso memorat mulieres. 1049 Meamne sic volgo pollicitere operam. 1135 concubinam intro abiit oratum suam. 1241 clementi ignoscet animo 1368 operae non parcam meae.

Etiam genitivi separantur a vocabulis, a quibus dependent, cfr: v. 252 Quantum vis prolationumst. 406 Nihil habeo certi. 431 vicinorum imprudentis aliquis. 440 Quid hic tibi in Ephesost negoti? 492 Quantum hunc audivi facere verborum. 582 satis pipulo improbo merui mali. 710 satis cepissem miseriarum 879 regionem fugere consili. 1054 satis habeo divitiarum. 1055 plus mi auri. 1146 quod apud nos fallaciarum.

Sed raro adverbia ab adiectivis separantur, veluti: v. 354 ut satis sis subdola. 891 lepide hercle ornata.

Saepius adverbia ab verbis distant, id quod manifesto apparet ex his locis:

V. 224 Tuto possit pervenire. 411 fumificem odore amoene. 434 perperam perplexo nomine appellas. 560 at non malitiose tamen feci. 686 Tum plicatricem clementer non potest quin munerem. 726 minus audacter scelesta facerent facta 866 lepide hoc succedit. 780 faciundumst mulieri male atque malitiose. 928 efficiam hoc plane.

Quin etiam partes unius verbi aliquotiens separantur, qua dicendi ratione usus est poeta in his versibus:

V. 34 Perhaurienda haec sunt. 36 Factum herclest, 165 factum a nostra hic familiast. 226 visa ne sint. 268 persecutus volpem ero. 372 sunt maiores siti. 567 factum id aps te esse arbitror. 919 ludificata lepide ero.

Vocabula 'ne—quidem' quae posteris temporibus eo modo separari solent, ut vel unum tantum vocabulum vel complura quae arctissime inter se cohaerent, intercedant, in Plauti fabulis nonnunquam latius distant, cfr. v. 31. Ne hercle operae pretium quidemst [1]).

Omnes praepositiones ab initio fuisse adverbia et ex eo apparet, quod omnibus linguae aetatibus praeterquam quod praepositiones sunt, etiam pro adverbiis usurpabantur, et ex tmesi, quam patiuntur nonnunquam apud Plautum, h. e. distractione a verbo, quocum sunt compositae [2])

Neque vero solum, ut urgeantur vocabula, distrahuntur, sed etiam iunta ponuntur ea quae vel contrariam habent significa-

---

1) In Trucul. II. 6. 62 ne mi unum verbum quidem.

2) cfr. Holtze: Syntaxis prisc. script. Lat. usque ad Terentium vol. 1. pag. 343.

Cuius rei cum exempla in mil. non insint, ea ex aliis fabulis electa afferam, veluti:

Curcul. 1. 1. 85 Si quid super illi fuerit Trinummus IV. 1. 14 disque tulissent.

tionem, vel eandem, vel similem, cuius rei exempla conferri possunt hi loci:

V. 41 quos tu occidisti una uno die. 101 et illa illum contra. 142. Qua commeatus clam esset hic huc mulieri. 197 quem dolum doloso contra conservo parem 203 ferit femur dextrum dextra ita vehementer 226 facta infecta uti sient. 350 in nostra melius famulo familia. 599 Nam bene consultum inconsultumst. 611 placeat displiceat mihi. 778 quae alat corpus corpore. 1080 hunc hic esse. 1273 alium alio pacto 1355 verum factum faxo.

Praecipue pronomina personalia iuxta ponuntur, sicuti:

V. 23 ego me. 195 tute tecum. 281 tute tibi. 307 suo se 365 tu te 388 me meus mihi. 421 tute tecum. 470 tu tibi. 496 Tun te. 623 mei me. 730 tua te. 943 tu tuam.

Vocabula, quae eandem habent formam, non in eodem enuntiato iuxta poni solent, sed unum vel complura vocabula interponuntur, id quod fit:

V. 198 id visum ne visum siet. 226 Quae hic sunt visa, ut visa ne sient. 369. Quin viderim id quod viderim. 406 non vidi eam et si vidi.

Licet autem easdem formas iuxta poni in duobus enuntiatis, id quod semel legitur v. 374 unde nisi domo? domo?

Pulcherrime figura chiasmi ea collocatione vocabulorum formatur, ut duo vocabula, quae unam componunt notionem, iuxta duo alia itidem coniuncta ponantur, sed inverso ordine ita ut, quorum gravitas minor sit, in medio collocentur, quam figuram invenimus:

V. 69 facete advortis tuum animum ad animum meum. 284 homo sectatu's nihili nequam bestiam. 342 Ne tibi clam se supterducat istinc atque hunc transeat, 374 minis tuis hisce oculis. 540 perque stultiam meam perque tua genua. 627 pernix manibus, pedibus mobilis. 647 abeo domum, sermonem segrego. 697 magno in genere et in divitiis maximis 768 Erus meus ita magnus moechus. 1018 Conlaudato formam et

faciem, et virtutes commemorato 1039. quae digitos despoliat suos et tuos digitos decorat. 1230 Consciscam letum: vivere sine illo scio me non posse.

Persaepe in fabulis Plautinis insunt allitterationes[1]), quas Romani maxime dilexisse videntur. Quoniam vero longum est omnia exempla ex mil. deprompta afferre, ea modo in medium proferam exempla, quae insunt in prima fabulae parte usque ad prologum: v. 1. clupeo clarior. 2 sudumst solent. 3 ut ubi usus. 24 epiturum estur 25 eccum edepol vel elephanti. 26 pacto pugno praefregisti. 38 centum in Cilicia et quinquaginta, centum in κρυφιολαθρονία. 41 una uno 43 recte rationem. 53 et formam et factis. 69 animum ad animum. 75 opere oravit. 76 cogerem et conscriberem. 77 decretumst dare 78 sequimini satellites.

Multo autem suavior atque gratior sonus efficitur, si non solum primae litterae, sed etiam primae syllabae vocabulorum iuxta positorum eaedem sunt, veluti: v. 3 contra conserta 10 fortem atque fortunatum et forma. 15 Neptuni nepos. 34 dentis dentiant. 46 adhuc adsiduo 70 me meditate. 130 conclave concubinae. 146 facetis fabricis et doctis dolis. 158 impluvium intro. 174 impluvium intus. 196 consilia — convoca — consulo. 197 dolum doloso contra conservo. 204 ferit femur 212 euge euscheme. 225 comminiscor consilium. 243 contra conservum. 244 amatore amplexantem. 247 doctum dolo. 286 forte fortuna. 287 Sceledre scelus. 205 indicium - interii, interii. 315 vitam vitiosa. 329 Sceledre scelera 350 famulo familia. 369 mora moror. 434 perperam perplexo. 477 consilium comminiscam. 491 malo magno. 505 inde inspectavi. 506 amplexam amicam. 614 cor corpusque. 628 inest — ingenua indoles. 770 praestare praedicat. 844 crebro credo. 849 cassabant cadi. 868 fabricam fallaciasque. 878 satis sapit. 933 comptissime confido confuturum. 952 anulum ancilla. 988 obsint — obstant. 1013 exspectando

1) cf. edit. Lorent. pag. 64.

excrucior. 1025 face fastidi. 1083 tago — taceo[1]) 1148 velles venimus. 1158 impetrabis imperator. 1315 exite — ecferte. 1316 conservi conservaeque. 1355 factum faxo. 1395 dispennite — distennite. 1407 advocatus ades.

Fere idem vel similis est effectus, si vocabula iuxta posita pari modo finiuntur, quam figuram Graeci ὁμοιοτέλευτον appellant, cfr. v. 498 latrocinamini—arbitramini. 636 amoris—humorisque. 643 sputator screator. 685 Praecantrici, coniectrici, ariolae atque aruspicae. 1395 dispennite — distennite, 1399 homini nemini. Cui figurarum generi adscribendae quoque videntur esse annominationes[2]), i. e. coniunctio vocabulorum, quae quamquam similem sonum efficiunt, tamen diversissimas res significant, ut: v. 7 gestitem — gestit. 23 auribus perhaurienda. 288 Sceledre scelus. 329 Sceledre scelera. 324 ludo luto 1297 maris a mare. 1298 obsecro mox seco.

Figuram, quae vocatur anaphora quaeque ab oratoribus praecipue adhibita est, repetitionem dico illam eiusdem vocabuli in eadem enuntiati parte etiam a Plauto usurpatam esse, his demonstratur locis:

V. 193 Domi habet hortum et condimenta ad omnis mores maleficos. Domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.

330 Mihi ego video, mihi ego sapio, mihi ego credo plurimum. 683 Da mihi vir, Calendis meam qui matrem munerem. Da qui faciam condimenta, da quod dem quinquatribus.

---

1) Consentio cum Lorentio poetam ad similes syllabas faciendas verbum 'tago', quod erat inusitatum, posuisse pro usitato 'tango'.

2) Cfr. edit. Lorent. pag. 63.

Pars II.

De enuntiatorum partibus collocandis.

Priusquam Plauti artem in enuntiatorum partibus collocandis adhibitam perscrutamur, regulae ac normae explicandae videntur esse, quae in universum de hac re in sermone Latino valent. Iam ex natura enuntiationis primariae sequitur, ut ea antecedat enuntiationi secundariae, sed coniunctione cum enuntiationibus antecedentibus saepe efficitur, ut enuntiatio secundaria, quia cum illis arctius coniungenda est, in loco enuntiationis primariae ponatur.

A scriptoribus, qui usi sunt oratione pedestri, sicuti Livio, Sallustio, Caesare toties enuntiationum vulgaris ordo transmutatur, ut iam saepius enuntiationes secundariae anteponantur enuntiationibus primariis; at a Cicerone, qui iure laudatur auctor orationis pedestris artificiosae, saepe enuntiationes secundariae inseruntur enuntiationibus primariis. Postea demum Taciti, Frontones, Gellii legem illam enuntiationem primariam plerumque anteponendi a comicis veteribus receperunt. Sed etiam in scriptis comicorum singulae vel duae enuntiationes secundariae enuntiationem primariam antecedunt, si aut ea, quae in iis exponuntur iam antea facta sunt aut arctius cum enuntiationis antecedentis argumento cohaerent, quam ad rem illustrandam sufficiant haec exempla:

V. 297 Quid fuat me, nescio haec me vidisse, ego certo scio. 402 Men' eam non vidisse arbitras? 548 Sed meam esse erilem concubinam censui. 550 Et me despexe ad te per impluvium fateor. 555 Sed Philocomasium me vidisse censui. 1196 nam si possum ullo modo Impetrare, ut abiret nec te abduceret, operam dedi.

At vero eae ipsae enuntiationes secundariae, quae secundum leges grammaticas enuntiationibus primariis antece-

dunt, non raro a Plauto postponuntur, id quod occurrit et in enuntiationibus conditionalibus, cfr:

v. 244 Idem ego dicam, si ex me exquiret miles. 426 Quis ego sum igitur, si hunc ignoras? 444 At iam crepabunt mihi manus malae tibi Nisi me omittis. 452 Te nusquam mittam, nisi das firmatam fidem. 454 Do fidem, si omittis. 1139 Facile istuc quidemst, si et illa vult, et ille autem cupit;

et in enuntiationibus temporalibus, cfr:

v. 195. Paulisper tace, Dum ego mihi consilia in animum convoco et dum consulo. 213 Nunquam hodie quiescet, priusquam id quod petit, perfecerit.

Plautus, quamquam non tam artificiosas periodos ut scriptores pedestris sermonis, sed plerumque enuntiationes simplices composuit, tamen iam saepe enuntiationes quasdam aliis ita immiscuit, ut omnia fere enuntiationum secundariarum genera enuntiationibus primariis inserta inveniantur. Qua de causa genera singula certo ordine ita contemplanda mihi esse existimo, ut proponam

a. enuntiationes temporales:

v. 746 Nam i solent, quando accubuere, ubi cena adpositast, dicere. 938 Ne quid, ubi miles venerit, titubetur.

b. enuntiationes causales:

v. 50 At peditastelli quia erant sivi viverent.

129 Ego quoniam inspexi mulieris sententiam Cepi tabellas.

c. enuntiationes concessivas:

v. 168 Haut multos homines, si optandum foret, Nunc videre et convenire quam te mavellem. 194 Ego istaec si erit hic nuntiabo. 292 Verum enim tu istam, si te di ament, temere hau tollas fabulam. 296 Primundum, si falso insimulas, Philocomasium hocperieris.

458 Immo vi atque invitam ingratiis Nisi voluntate ibis, rapiam te domum. 569 Ne tu hercle, si te di ament, linguam comprimes. 709 Ei tibi sunt gemini et trigemini, si te bene ament, filii. 1148 Id nos ad te, si quid velles, venimus.

Enuntiationes secundariae etiam enuntiationibus secundariis inseruntur, cfr:

v. 600 Neque potest quin, si inimicis usuist, opsit tibi. 768 ut neminem fuisse aeque neque futurum credam. 1113 ut ubi illaec prodeat, me provoces.

Non raro enuntiationes primariae enuntiationibus secundariis inseruntur, id quod invenitur:

v. 77 Regi hunc diem mihi operam decretumst dare. 237 Ad Philocomasium huc sororem geminam germanam alteram dicam?Athenis advenisse. 239 aput te eos hic devortier Dicam hospitio, 254 eam iube Cito domum transire. 276 Te Palaestrio volup est convenisse. 291 Medicum istuc tibi meliust percunctarier. 319 quam in proxumo Vidisse aibas te ausculantem atque amplexantem. 485 Non hercle hisce homines me marem sed feminam Vicini rentur esse servi militis. 537 similiorem mulierem Magisque eandem eadem quae non sit, non reor Deos facere posse. 546 Meruisse equidem me maxumum fateor malum. 547 Et tuae fecisse me hospitae aio iniuriam. 562 Domitos habere oportet oculos et manus Orationemque. 672 Nam mihi deum virtute dicam proptor divitias meas Licuit uxorem dotatam genere summo ducere. 686 Tum plicatricem clementer non potest quin munerem. 770 Atque is Alexandri praestare praedicat formae suam. 771 Itaque omnes se ultro sectari in Epheso memorat mulieres. 885 Ne dixeritis opsecro huic nostram fidem. 1156 hasce esse aedis dicas dotalis tuas. 1185 nam illam hinc sat scio Iam exituram esse intus. 1235 Nam nulli mortali scio optigisse hoc.

Venio nunc ad contemplandam coniunctionem complurium enuntiationum primariarum, quae aut vinculo aliquo inter se consociantur aut sine ullo vocabulo coniunctionis ponuntur.

Itaque primum respiciamus usum illum, qui apud Plautum latissime patet, derivandum ex vivido quod in eius comoediis extat sermocinandi genere, quo saepissime orationes rectas in-

seruit poeta, ubi obliquas exspectamus, id quod praecipue fit in enuntiationibus interrogativis [1]):

v. 57 Rogitabant hicin Achilles est. 280 Nescis tu fortasse aput nos facinus quod natumst novom. 1041 Quid nunc tibi vis, mulier, memora.

Aliter vero res sese habet, cum iuxta ponuntur duae enuntiationes primariae in oratione recta, ubi exspectatur, alteram a priori per obliquam orationem dependere. Quod maxime usu venit in verbis „facio, credo, amo, opinor, opsecro, quaeso", aliis. Ponuntur autem haec verba modo in principio enuntiationis, modo in fine, modo παρενθέτως inseruntur [2]), ut: 201 cor credo evocaturust foras. 309 Credo hercle has sustollat aedis totas. 367 Oculis carebis credo. 381 Sed amabo advortite animum. 402 Ne tu hercle sero, opinor Resipisces. 462 Iam faxo hic erit. 1058 Sed amabo me mitte actutum. 1075 Iam iam sat amabost. 1255 Mea Milphidippa adi opsecro. 1300 Quid modi flendo quaeso hodie facies. 1355 Immo hodie verum factum faxo post dices magis.

Neque praetermittendum mihi videtur, qua arte enuntiationes primarias Plautus formaverit; saepius enim, ut unum potissimum id commemorem, poeta subiectum enuntiationis secundariae mutat in obiectum primariae. [3]) Comparandi sunt hi loci: v. 340. Si eam facio, ut exire hinc videas domo. 917 Qui noverit me quis ego sim? 988 Eos nunc homines metuo, ne opsint mihi. 1036 Viden tu ignavom, ut sese infert? 1246 Propterea Venus facit eam, ut divinaret.

Et quoniam acuratissime in sermone Latino enuntiationes coniunguntur, coniunctionibus ipsis demonstratur, quem ad modum enuntiationes inter sese cohaereant. Si vero enuntiatione sequenti nihil fit, nisi confirmatur argumentum enuntiationis praecedentis, uno vocabulo solo enuntiationis praecedentis argu-

1) Holtze: syntaxis prisc. scriptor. Latin. usque ad Terentium vol. II pag. 236.
2) cfr. Holtze: synt. prisc. script. Lat. usque ad Terentium vol. II. p. 227.
3) cfr. Holtze: synt. prisc. script, Lat. usque ad Terentium vol. II. p. 222.

mentatio excipitur, quae enuntiationum coniunctio confirmativa appellatur, id quod satis elucet ex his exemplis:

V. 44 At nullos habeo scriptos: sic memini tamen. 158 Mihi quidem iam arbitri vicini sunt, meae quid fiat domi: Ita per impluvium intro spectant. 165 Nescio quid male factum a nostra hic familiast, quantum audio: Ita senex talos elidi iussit conservis meis. 517 Sicut etiam nunc nescio quid viderim: Ita istast huius similis nostrae tua. 533 Transcurre curriculo ad nos: ita negotiumst. 572 Bene me mones: Ita facere certumst. 657 Tute me ut fateare faciam esse adulescentem moribus: Ita ego ad omnis comparebo tibi res benefactis frequens. 785 Adsimuletque se Tuam esse uxorem: ita praecipiundumst. 1077 Ne magis sim pulcer, quam sum: Ita me mea forma habet sollicitum. 1082 Lepide factumst: iam ex sermone hoc gubernabunt doctius porro. 1138 Omnia dat dono, sibi habeat: ita ego consilium dedi.

Iam vero dicendum mihi esse existimo de asyndetis i. e. enuntiationibus, quae coniunctionibus carent. Quae cum omnibus temporibus in quaque lingua fuisse constet, saepissime etiam in fabulis Plautinis inveniuntur. Quibus in pertractandis sequar Naegelsbachium, qui dostissime statuit falsa asyndeta et vera. Falsa enim asyndeta aut explicativa aut adversativa sunt, quae coniunctionem non postulant; aut enumerativa aut summativa, quae coniunctionibus iungi non possunt.

Quam ad rem probandam cuiusque asyndeti generis exempla ex fabula, quam tractamus, petita adferam, secutus ordinem, quem supra commemoravi:

a. Asyndeta explicativa: v. 33 Venter creat omnis has acrumnas, auribus Perhauriunda haec sunt. 46 Dum tale facies, quale adhuc, adsiduo edes: Communicabo semper te mensa mea. 65 Molestiae sunt: orant ambae et opsecrant videre ut liceat. 117 Ubi sumus provecti in altum, fit quod di volunt: Capuint praedones navem illam. 143 Et sene sciente hoc feci: is consi-

lium dedit. 240 Euge, euge, lepide! laudo commentum tuum. 347 Set hic illi supparasitatur semper: hic ei proxumust: Primus ad cibum vocatur, primo pulmentum datur. 357 Hanc rem gero: habeo auris, loquere quidvis. 371 Noli minitari scio crucem futuram mihi sepulcrum. 406 Nihil habeo certi quid loquar, non vidi eam etsi vidi. 452 Lege agito: te nusquam mittam. 490 Perii hercle: hic ad me recta habet rectam viam. 565 Dato excruciandum me: egomet me dedam tibi. 575 una hic et Palaestrio Me habent venalem: sensi et iamdudum scio. 628 Si albicapillus hic videtur, ne utiquam ab ingeniost senex: Inest in hoc amussitata sua sibi ingenua indoles. 759 Nunc hoc aninum advordite ambo: opus est mihi opera tua. 798 Ergo adcures: properato opus est. 816 Tetigit calicem clanculum: Deprompsit nardini amphoram cellarius. 828 Nam nimis calebat: amburebat gutturem. 852 Perii: excruciabit me erus. 890 Eu, noster esto: Venire salvom gaudeo: lepide hercle ornata incedit, Palaestrio Acroteleutium salutat. 910 Nunc haec carina satis probe funtatast et bene statutast: Adsunt fabri architectonesque ad eam rem haut imperiti. 945 Immo omnes res posteriores pono atque operam do tibi: Loquere: auris meas profecto dedo in ditionem tuam. 972 Tum te hoc facere oportet: tibi divitiarum adfatimst. 1003 Erit et tibi exoptatum optinget: bonum habe animum, ne formida. 1013 Patere atque asta: tibi ego hanc do operam. 1059 Non mihi avaritia unquam innatast: satis habeo divitiarum. 1075 Iam iam sat amabost: sinite abeam, si possum, viva a vobis. 1133 Bono animo es: negotium omne iam succedit sub manus. 1178 Permirum ecastor praedicas te adisse atque exorasse: Per epistolam aut per nuntium quasi regem adiri eum aiunt. 1230 Consciscam letum: vivere sine illo scio me non posse. 1264 Ad se ut adeas: tecum vivere volt atque aetatem exigere. 1348 Iam non pussum: amisi omnem libidinem. 1354 Scio: perspexi saepe. 1356 Cave istuc feceris: Dicant te mendacem nec verum esse: Dicant servorum praeter med esse fidelem neminem, 1421 Vae

misero mihi: Verba mihi data esse video.

b. Asyndeta adversativa: 161 Quod ille gallinam aut columbam se sectari aut simiam Dicat: disperistis ni usque ad mortem male mulcassitis. 167 Sed me excepit: nihili facio quid illis faciat ceteris. 298 Quid fuat me nescio, haec me vidisse ego certo scio. 565 Dato excruciandum me: egomet me dedam tibi. 922 Age Periplecomene, has nunciam duc intro: ego eo ad forum. 1006 Infidos celas: ego sum tibi firme firmus. 1112 Ibo igitur intro, tu hic ante aedis interim Speculare. 1338 Mea, non illorum dedi: Parvi ego alios facio.

c. Asyndeta enumerativa:

v. 38 Memini: centum in Cilicia Et quinquaginta, centum in χρυφιολαθρονίᾳ, Triginta Sardi, sexaginta Macedones Sunt homines, quos tu occidisti una uno die. 193 Domi habet hortum et condimenta ad omnes mores maleficos, Domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias. 236 Nunc si rationem incipissam, hanc instituam astutiam. Ad Philocomasium huc sororem geminam germanam alteram Dicam Athenis advenisse cum amatore aliquo suo, Tam similem quam lacte lactist aput te eos hic devortier Dicam hospitio. 249 Facilest: trecentae possunt causae conligi: Non domist: abiit ambulatum: dormit: ornatur: lavat: Prandet: potat: occupatast: operae non est, non potest. 330 Mihi ego video, mihi ego sapio, mihi ego credo plurimum. 534 Abi intro ad vos domum Continuo: vide sitne istaec vostra intus. 683 Dicat: da mihi vir, Calendis meam qui matrem munerem: Da qui faciam condimenta: da quod dem quinquatribus Praecantrici, coniectrici, ariolae atque aruspicae. 752 Iube illut demi, tolle hanc patinam: remove pernam, nil moror: Aufer illam offam porcinam: probus hic conger frigidust: Remove, abi, aufer. 1045 Age mi Achille, fiat, quod te oro: serva illam, pulcer, pulcre. Exprome benignum et ex te ingenium, urbicape, occisor regum. 1091 Quae illi instruxisti: sumat, abeat, auferat. 1109 Dicas tibi uxorem esse necessum ducere: Cognatos persuadere, amicos cogere.

1144 Domi esse ad eam rem video silvai satis: Mulieres tres: quartus tute's, quintus sum ego, sextust senex. 1156 Nisi modo unum hoc: hasce esse aedis dicas dotales tuas: Hinc senem aps te abisse. 1232 Nam tu te vilem feceris si te ultro largiere: Sine ultro veniat, quaeritet, desideret, exspectet. 1287 Philocomasium quaerito: A matre illius venio: si iturast, eat. Omnis moratur: navem cupimus solvere.

d. Asyndeta summativa.

216 Tibi dico: eho cantherie, me hauscis te adloqui? Palaestrio, Vigila inquam, expergiscere inquam; lucet hoc inquam. 221 Coge in opsidium perduellis, nostris praesidium para. Interclude itere inimicis, cate tibi moeni viam. Qua cibatus commeatusque ad te et legiones tuas Tuto possit pervenire, hanc rem age: res subitariast. 281 Tute scias soli tibi: Mihi ne dixis: scire nolo.

351 Set ego, quod ago, id me agere oportet: hoc opservare ostium. 409 Set fores vicini proxumi crepuerunt: contiscam. 701 Ei aput me sunt, ei me curant: visunt quid agam, ecquid velim? Priusquam lucet, adsunt: rogitant, noctu ut somnum ceperim. Sacruficant: dant inde partem mihi maiorem quam sibi, Abducunt me ad exta, me ad se ad prandium, ad cenam vocant. Ille miserrumum se retur, minumum qui misit mihi. Illi inter se certant donis: egomet mecum mussito: Bona mea inhiant: me certatim nutricant et munerant. 864 Set Periplecomenus, quam ei mandavi, mulierem Nimis lepida forma ducit: di hercle hanc rem adiuvant. Quam digne ornata incedit, haut meretricie: Lepide hoc succedit sub manus negotium.

962 Ea demoritur te atque ab illo cupit abire: odit senem. 1268 Causiam habeas ferrugineam, nam is colos thassalicust: Id conexum in umero laevo, expapillato brachio, Praecinctus aliqui: adsimulato quasi gubernator sies.

1366 Ne me moneatis: memini ego officium meum. Ego iam

conveniam illum ubiubist gentium; Investigabo: operae non parcam meae.

Plenam igitur esse fabulam talium asyndeton, quae secundum Naegelsbachium falsa appellavimus, manifesto apparet; neque negligenda mihi videtur esse opinio eorum, qui illis figuris sermonem vividum auditorum animos vehementer movisse atque oblectasse existimant. Alia etiam asyndeta in fabula, quam tractamus, insunt, quibus efficitur, ut actiones non succedere, sed quasi uno momento fieri videantur, quae asyndeta vera appellamus. Cuius figurae fabula haec praebet exempla:

v. 129 Ego quoniam inspexi mulieris sententiam, Cepi tabellas, consignavi clanculum, Dedi mercatori quoidam. 201 Pectus digitis pultat: cor credo evocaturust foras, Ecce avortit: nisam laevo in femine habet laevam manum. Dextera digitis rationem computat: ferit femur Dextrum dextra ita vehementer: quod agat aegre suppetit. Concrepuit digitis: laborat, crebro commutat status. Eccere autem capite nutat: non placet quod repperit. 920 Age igitur intro abite: Insistite hoc negotium sapienter. 977 St, tace: aperitur fores, concede huc clanculum. 1119 Set abi intro: noli stare.

1341 Ite cito: iam ego adsequar vos: cum ero pauca volo loqui. 1374 Te volt, te quaerit, teque exspectans deperit. Amanti fer opem.

Plauti in vocabulis S38
enuntiatorumque partibus
collocandis ars in fabula,
quae inscribitur "Miles
gloriosus" demonstretur.

JUN 27 1918

Sem.311(Weber)

YC 00808

U. C. BERKELEY LIBRARIES

C045900538

Schuett

164400

50m-8,'17